



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXXIII. De eodem, ex statuto domini Friderici Saltzburgensis archiepiscopi,  
quod incipit: Statutum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

cis, & sub obtestatione diuini iudicii, vt vxores suas & filias  
& alias mulieres, in præsentia vel familiari potestate con-  
stitutas, faciant honeste incedere: prohibeantque, ne ni-  
miam in vestibus longitudinem, & [ ab ] aliis mulierum  
ornamentis exquisitam superfluitatem habeant. Quibus  
etiam mandatur sub poena excommunicationis, vt in his  
pareant maritis suis: alias eucharistia communione pri-  
uentur, & per censuram ecclesiasticam arceantur. Et in  
fine mandatur sacerdotalibus potestatibus sub poena præ-  
fata, vt ad corroborationem huiusmodi statuti faciant  
hanc constitutionem exacte obseruari.

## XXXI.

*De his qui occidunt, verberant, aut qualitercumque manus vio-  
lentas in clericos iniiciunt, aut eos captiuant, seu captiuatos tenent.  
Ex statuto domini Guidonis cardinalis apostolicae sedis legati,  
quod incipit: Item cum in plerisque.*

Occidens, verberans, aut qualitercumque manus vio-  
lentas in clericos iniiciens, seu eos capiens, singulis annis  
in Synodus episcopalibus excommunicati denuntiari de-  
bent, & nominatim illi, de quibus constiterit manifeste.

## XXXII.

*De eodem, ex statuto eiusdem domini Guidonis, quod incipit:  
Quodcumque vero.*

Vulnerans enormiter ecclesiasticam personam, occi-  
dens vel captiuans, non nisi per sedem apostolicam debet  
absolui. Et si quid tenebat ab ecclesia, illud ipso facto per-  
dit, quod in utilitatem ecclesiae debet conuerti. Et gene-  
raliter in dieceesi, in qua aliquem canonicum cathedralis  
ecclesiae, vel in dignitate ecclesiastica constitutum capi  
contigerit, aut captiuum detineri, usque ad liberationem  
ipsius, & debitæ satisfactionis exhibitionem. Similiter & in  
parochia, in qua res clericis violenter ablatas detineri con-  
tigerit, usque ad satisfactionem & restitutionem con-  
gruam cessari debet a diuinis.

## XXXIII.

*De eodem, ex statuto domini Friderici Salzburgensis archi-  
episcopi, quod incipit: Statutum.*

Captiuato domino archiepiscopo Salzburgensi, aut  
aliquo

<sup>ANNO</sup>  
<sup>1420.</sup> aliquo ipsius suffraganeo, seu inuasa ecclesia Saltzburgensi, aut quacumque alia ecclesia cathedrali prouinciae Saltzburgenis, hostiliter & iniuriouse, vt de subuersione status eius verisimiliter timeatur, statim, postquam hoc innoverit, per totam prouinciam Saltzburgensem cessari debet a diuinis. In terris tamen principum cessari non præcipitur, nisi ab offendis huiusmodi cessare, & emendam præstare infra mensem admoniti contempserint.

XXXIV.

*De eodem, ex statuto eiusdem Friderici, quod incipit:  
Item cum hi.*

Qui violentas manus in clericos iniiciunt, debent in parochia, in qua delictum commissum fuerit, aut in qua iniiciens domicilium habuerit, per rectores ecclesiarum singulis Dominicis & festiuis diebus excommunicati denunciari: & qui tales violentos iniectores scienter ad diuina vel ecclesiastica sepulturam receperint, sunt ab officio suspensi. Qui vero in prædicta denuntiatione, postquam sibi per ordinarium fuerit specialiter demandata, negligens fuerit aut remissus, per viginti dies ab ingressu ecclesie & ab officio est ipso facto suspensus.

XXXV.

*De eodem, ex statuto domini Ioannis Tusculani episcopi,  
apostolicæ sedis legati, quod incipit:  
Eos qui.*

Captiuantes, seu captiuos detinentes clericos & personas ecclesiasticas, si infra octo dies, postquam requisiiti fuerint, eos non relaxauerint, omnibus Dominicis & festiuis diebus per prælatos & rectores ecclesiarum, in quarum limitibus huiusmodi captiuantes aut detinentes commorantur, & personæ huiusmodi ecclesiasticæ fuerint captiuæ, aut in quibus captiuæ detinentur, excommunicati publice denuntientur. Et nihil minus, vbi huiusmodi ecclesiasticæ personæ captiæ detinentur, quamdiu taliter detinentur, clerici hoc scientes cessare debent a diuinis: contrarium facientes excommunicati sunt ipso facto.

*Concil. Tom. 29.*

Xxx